

www.e-rara.ch

**Joannis Keppleri S.C. Mtis Mathematici Phaenomenon Singulare Seu
Mercvrivs In Sole Cum digressionem De Causis, Cur Dionysius Abbas
Christianos Minus Iusto à Nativitate Christi Domini numerare ...**

Kepler, Johannes

Leipzig, 1609

Stadtbibliothek Schaffhausen

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-116065>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

JOANNIS KEPLERI
S. C. M^{ris} Mathematici

PHÆNOMENON
SINGVLARE

Seu
MERCVRIVS IN SOLE.

Cum digressionē
DE CAUSIS, CUR DIONYSIUS
ABBAS CHRISTIANOS MINUS IUSTO à Na-
tuitate Christi DOMINI numerare,
docuerit:

Decapite 3 anni Ecclesiastici.



1 6

0 9.



L I P S I Æ,
Impensis THOMÆ SCHÜRERI Bibliopolaë.

JOHN W. BERRY

MEMORANDUM

TO THE BOARD OF DIRECTORS

FROM THE SECRETARY

RE: [illegible]

[illegible]



MADE IN U.S.A.



Illustrissimo Principi & Domino
D. IOANNI FRIDE-
RICO, Duci VVirtembergiae & Teccæ,
Comiti Montispeligardi, Domino in Hai-
denhaim, Domino meo Clemen-
tissimo.

Illustrissime Princeps, Do-
mine clementissime, Cum nuper
illustrissimus Princeps & Domi-
nus, D. Fridericus Dux VVirtem-
bergiae & c. Illustrissimæ C^{tis} Tux
parens laudatissimæ memoriæ, irrevocabili de-
creto Regis Regum & Domini dominantium
ex hac vita esset evocatus: acerbissimus, ut par
erat, dolor animum meum occupavit. Perpen-
debam enim ademptum esse patriæ meæ paren-
tem, quæ sub eius tutelâ per hos quatuordecim
annos aurea pace per omnes ordines fruebatur;
occurrebant laudatissimæ Principis curæ, quas
in exornanda excolendaque provincia, non ra-
rò felici successu indefessus impenderat: versa-
bam animo ingentem eius amorem, quo sub-
ditos amplectebatur, tenuisque plebeculæ com-

moda adjuvare, salutemq; tueri studebat: nec
parum movebar patrocínio & beneficentia, quâ
literas artesque liberales, adeoq; & secretiores
constanter asseruerat; laudabam iuxta fraudis
omnis & præstigiarum, in publicam perniciem
comparatarum vindicem acerrimum, contra
tot agyrtarum ludibria invictum: ut non dicam
de singulari fide & prudentia eius, in educatione
liberorum Illustrissimorum adhibita; ut taceâ
consilij publici authorem, si casus tulisset, homi-
num locorumque experientia instructissimum.

Ob tot igitur & tanta bona, cum hoc He-
roe extincta animum meum in luctus & gemitus
decidentem, excepit & retinuit recordatio
certi successoris, Illustrissimæ nimirum C^{ris} T^æ,
iucundissima: ut qui sub disciplina patris pru-
dentissimi ad maturam ætatem provectus, non
nisi ad insignem prudentiam gubernandiq; pe-
ritiam profeceris. Accessit fama, quam per ple-
rasque Imperij Romani, nec paucas alias Euro-
pæ provincias, quacunque transisti, dignitatem
comitate temperans seminasti optimam: quæq;
nunc, postquam ver secundæ fortunæ tuæ inca-
lescit, præsentis tibi lætissimis acclamationibus,
absenti faustissimis ominationibus, utrinq; san-
ctissimis votis, uberrimè fructificat.

Excitavit ista meditatio animum meum, ut
in

in publica lætitia ipse licet absens, noluerim esse
mutus. Occasionē itaq; circumspicienti, qua Ill^{us}
Cel^{si} T^{ri} gratularer solēniter, & more inter litera-
tos recepto, libelli quid dedicarē, fors ipsa opitu-
lata est. Sub idē enim tēpus rogarunt me amici,
ut historiōlā de coniūctione Solis & Mercurij;
cuius in scripto vernaculo de Cometa superioris
anni nuper edito mentionem paucis feceram,
quāq; se mirificē fuisse affectos affirmabant, lu-
culentius traderem, latinisq; literis conceptam
in publicum emitterem.

Illis ego dum non gravatim obsecundo:
commodum accedit, ut cōtra eum libellum mi-
hi esset agendum, quā mihi negaverat possibile
esse Mercurium sub Solem incurrere. Qui libel-
lus cum ante biēnium Ill^{us} C^{elsi} T^{ri} fratribusq; Lu-
DOVICO & IULIO esset ab autore dedicatus: ut
igitur ad eundem arbitrum deferretur mea de-
fensio, cui erat oblata obiectio; Sicq; Ill^{us} C^{elsi}
T^{ri} de quæstione mora rectissimē iudicaret; ni-
hil mihi potius faciendum videbatur, quā ut
hoc quicquid est, commentatiunculæ Ill^{us} C^{elsi} T^{ri}
dedicarem, eidemq; de hac felici succes-
sione in gubernatione patriæ meæ, iuxta gratu-
larer, faustissima omnia precatus: atque hac,
quamvis tenui significatione, & Principi fidem
subiectionemq; & patriæ amorem meum testa-
tum facerem.

Hasigitur chartulas Ill^a Ci T^a sic offero, ut
eiusdem Tutelæ unâ me meosque offeram &
commendem; imprimisque meas artes, quas
sub liberalitate & beneficentia Ludovici Præde-
cessoris tui primum degustatas, nunc iussu &
sumptibus Rudolphi II. Imperatoris nostri per-
ficio. Eas Ill. C. Tua inter cæteras Reipub. par-
tes sic inclientelam suscipiat rogo, sicque com-
plecti pergat; ut quæ ornamentum pacis sint fu-
turæ. Ea re & Prædecessorum de his artibus iu-
dicia approbabit, qui locum ijs etiam in Acade-
mia sua esse voluerunt, & publicè de Ill. C. T^a
conceptam opinionem confirmabit, vota que
implebit: quæ meorum etiam votorum sum-
ma est. Ill^a C. T^a me subiectissimè commen-
do. Pragæ Calend, Martij 5, anno Dionysianæ
æræ 1608.

Illust. Cel. T.

Subiectissimus Client

Joannes Kepplerus S.C.

Meis Mathematicus.

In A-



N Astronomia parte Optica, sub finem capituli VIII, ubi de occultationibus siderum inter se mutuò, ago, extant hæc verba.:

Mercurij Nocti in * Tauri & Scorpionis ^{Errorem in} principio, vel Arietis, & Libra fuerunt, possuntq; ^{signo vide} bodie, ac ferè omnibus temporibus, planetam hunc ^{Paulo infra} sub Solem inuehere. Quo minus mirandum, ^{nota ***} quod in vita Caroli Magni legimus ad annum 807. annotatum his verbis: Stella Mercurij 16. Cal. Aprilis visa est in Sole quasi parua macula nigra: tamen paulò superius medio centro eiusdem sideris: quæ octoties (ut ego lego, barbarè, non octo dies) à nobis ita conspecta est. Sed quando primum intrauit vel exijt, nubibus impredientibus non potuit adnotari.

Autor Astronomiæ peritus fuit, quod apparet ex consignatione tot Eclipsium, & quod copulam Solis & Mercurij calculo tenuit, ex quo scivit, maculam illam esse Mercurium. Annus tamen, nescio quocasu, vitiosè conscriptus est. Fuit enim anno 808. XVI. Cal. Aprilis (fortè quod annum à Paschate inchoat) Nam eius diei meridiana hora in Regiomonte calculus Prutenicus exhibet Locū Solis 0.g.45.m. & Mercurij 0.g.31.m. & cū lat. 2.g.9.m. quam

"quam latitudinem à Ptolomæo certum est; sic orbi-
 "natam, ne hos duos Planetas sub Solem induceret.
 *Vide infra
 signo *** "At jam dictum est, hodie nodum in* Arietis sine esse,
 "ut non præter rationem sit, tunc fuisse circa initium
 "hujus signi. Jam igitur non amplius soli A verroi
 "de hoc Phænomeno credimus, postquam Christiana
 "professionis homo suum quoque calculum addit.

Hactenus Optica.

Biennio post editionem Opticorum prodijt dispu-
 tatio de inæqualitatibus motuum cœlestium,
 præside M. Michaelæ Mæstblino, Professore Mathe-
 matico Tubingensi, respondente M. Samuele Hafen-
 reffer: quo in libello præter alias pulcherrimas ve-
 litationes cum sententijs non paucis meorum Opti-
 corum (quibus pars earum cõfirmata, pars dissipata
 & victa est) etiam hæc mea explicatio historici loci
 de conjunctione Solis & Mercurij visibili, thesi
 XCVIII. benè longâ exanimata & confutata re-
 peritur. Ad quam thesin opera præcium est responde-
 re, ut veritas elucescat; sic enim iubere videntur
 ea, quæ hoc anno 1607. in cœlo spectata fuerunt.

Principio recensentur authores historici, qui
 de hac nigra macula in Sole testantur, Annonius
 Monachus, Autor annalium Francicorum ^{antiquorum},
 Eginardus, Vincentius, Sabellicus, Lycosthenes,
 Polydorus, Virgilius, Bedæ codex, Centuriæ Eccle-
 siasticæ. Inde nititur disputator quatuor rationibus
 probare

probare, ostentum potius fuisse præter naturale,
quàm conjunctionem Solis & Mercurij Astrono-
micam. Rationes hæ sunt:

I. Mercurium retrogradum Soli corporaliter
junctum; non ultra 6. vel 7. horas sub sole incede-
re posse, ob celeritatem cursus. At testari dictos au-
thores, visam esse hanc maculam in Sole 7. 8. vel 9.
dies.

Præveneram ego hanc objectionem correctio-
ne textus historici. Nam pro eo, quod legitur octo
dies, legendum dixeram Octoties, pro octies. Hæc
responsio vera est. Nam si hoc ita spectatum est
XVI. Cal. Aprilis uno die: non est igitur spectatum
per 7. 8. vel 9. dies.

Excipit verò disputator, non omnes authores
habere octo dies, ex quo concinnè quis efformet il-
lud Octoties, nam apud Eginardum, esse dies Se-
ptem, in Bedæ codice dies 9.

Respondeo, Certum esse unum aliquem primum
fuisse, qui consignavit hanc visionem Solis: ceteros
ab hoc descripsisse. Fuisse autem Astronomum, de-
scriptio ipsa indicat: Maculam parvam in Sole
visam. Quis, malum, nisi Astronomus, rari & inso-
liti phænomeni præscientiâ instigatus, oculos in So-
lem dirigat, videatq; maculam parvam in Sole, si
etiam perennis illa esset? Quando ne illum quidem
atrum punctum in extremitate corporis Lunæ vi-

dent omnes; et si Luna nullo damno oculorum inspic
ci ab omnibus potest.

Reliqua argumenta, quibus probatur scripto
rem fuisse Astronomum, opera precium est ex E
pistola mea cognoscere, quam super hac re scripsi ad
prædictum juvenem, Thesium propugnatorem, 16.
Novembris anni sexti supra sexcentesium: quem
diem notabit lector, ut de fide eorum, quæ sequen
tur, possit esse tantò certior. Sic igitur inter cate
ra. Quæ de Mercurio sub Sole viso objecisti, ea
non persuades. Historici quod ex uno Matheſeos
perito acceperunt, transcripserunt malè intelle
ctum. Fateris ipse, corruptam apud plerosq; descri
ptores rei narrationem, Annorum numero alio atq;
alio. Qui verò primus ista scripsit, ita loquitur,
ut Astronomus; de diebus octo intelligi non potest.
Nam si dies octo intelligendi sunt, non vices octo, in
tra unam diem; quid attinuit de nubibus querelam
instituere, quibus impeditus primum Mercurij in
gressum, in clypeum Solis, vel exitum ultimum, vi
dere non potuerit, quippe hoc impedimentum noctes
etiam si quæ inter tot dies intercessissent, potuissent
objicere, Sole cum Mercurio sub terra versante.
Imò quid multis (ille Astronomus attenderat ad
diem conjunctionis Solis & Mercurij; ex prepara
to ad hanc contemplationem accesserat; ac si quis
staret procinctus ad Ecclipsin observandam: itaq;
etiam

etiam quando primùm intraverit. quò minus vi-
deret, nubibus fuit impeditus. Magna in homine
fiducia futura Eclipsationis Solis, arguit; ipsum &
exemplis alijs antecedentibus, & doctrina expres-
sa, fortè Arabum aut Persarum (misit enim Rex
Persarum Automatum ad Carolum Magnum, ar-
gumentum eruditæ gentis) fuisse iam pridem de re
ipsa, quod fieri posset, confirmatum, & scivisse loca
Nodorum Mercurij. Quis quæso dixisset, nisi A-
stronomus, diem illum esse Conjunctionis Solis &
Mercurij. Et quia Astronomus & tot Eclipsium ob-
servator, quomodo ignorare potuit, Mercurium
celerius, quam octo dierum spacio sub Sole transi-
re?

Quæ de nodis & magna latitudine Mercurij in
Conjunctione Solis, obijcis, respondi satis in opticijs. Vide supra
Sed ibi in signo erravi. Nam hodie nodus Mercu- signo***
rij, non est in initio Tauri, sed geminorum. Id com-
perio in progressu examinis motuum Mercurij, &
deprehendi errorem calculi, qui mihi de Tauro di-
cebat.

Hac igitur tunc, sc. 16. Novembris anno 1606.
scripsi: ad commendationem fidei scriptoris Anna-
limpertinentia.

Fuisse verò Annonium illo posteriorem, & sic
non aversile, patet ex historie textu, cum Annonius
longius provebatur in sequentia tempora.

Nomen huius
Monachi Fre-
eras prodit
delmus Bene-
dictinus.

Deniq, qui Francicas historias non indiligenter tractat, invenit in Annonio, Reginone, Adone, Schafnaburgense integros paragraphos, à verbo ad verbum, ex hoc authore vitæ Caroli Magni, qui Monachus fuisse perhibetur Engolismensis Cœnobij, ex q, scriptore vitæ Ludovici Pij descriptos; præsertim illos, qui de rebus Astronomicis, ut de Cometis, Eclipsibus & similibus tradunt.

Et si igitur Raphsodi posteriores omiserunt vocem Mercurij, dicentes tantum de macula nigra: (fortè ignorantes esse aliquam in cœlo stellam, quæ dicatur Mercurij) tamen certum est, fuisse aliquē priorem illis tempore, quippe αὐτοῦ, qui hanc ipsam apparitionem referret ad stellam Mercurij: Authoritas itaq, antiquior, ratione subnixæ, non est convellenda per auctoritatem recentiorē, negligentia aut imperitiæ manifestissimam, & præterea ab αὐτῷ remotiorem.

At instat disputator amplius: videri Eginardum fuisse spectatorem phænomeni hujus: quippe qui Caroli Magni alumnus fuerit, & Epistolarum magister, & deniq, gener.

Ego verò recoquo vim responsionis, Eginardus enim hanc narrationem à scriptore vitæ Caroli descripsit. Negat quis? Ergò ille mihi explicet: quī credam, verisimile esse duos diversos ad unicum & inconspicuum fere phænomenon in sole
aqua-

æqualissimo octo dierum, spacio fuisse attentos?
Quin potius illum primum authorem credimus, qui
se multis documentis probat fuisse astronomum, al-
terum verò Eginardum illius fuisse simiā, qui quod
descripsit, ipse non intellexit: quid ex voce Octo-
ties primus fecit Octo dies, post memoria lapsus
numerum unitate minuit; Sicq; sequentibus dux
Et author fuit ad corruptam rei narrationem.

Astra notent docti, tu Pari semper ama.

Certè enim, qua nocte factus est gener Caroli Magni, si fol. fabular.
Magni, stellas non fuit contemplatus. Ninxerat
quippe interea, itaq; ne vestigijs proderetur, amica
bumeris exportatus fuit, clam spectante Carolo.

Atq; hac eadem responsione etiam quartæ ra-
tioni Disputatoris satis factum est, cum conatus
est auctoritate Eginardi persuadere, maculam istā
non fuisse Mercurium, sed prodigium prænuncians
mortem Caroli Magni.

Secundum argumentum falsò iactatæ macu-
læ in Sole deduxit disputator à dissensione autho-
rum in temporis circumstantia.

Polydorum enim Virgilium, Sabellicum, Et
Lycosthenem ponere annum Christi 778. Anno-
nium verò Et Annalium authorem habere 807. Ly-
costhenem iterum 808. Et tertio 1278.

Cui adjungo Et tertiam disputatoris ratio-
nem, quæ ex eo, quod Polydorus, Lycosthenes, Sabel-
licus

licus Eclipsin Solis retulerunt, quærat Eclipsis Iovis à Luna facta, teste Annonio, Adone, Reginone, Annalibus Francicis, ipsoq; adeò calculo; ex quo, quod Turpinus fabulam retulerit, t. diei sub Carolo Magno in triduum prolongata, hanc etiam narrationem eorundem annalium (quos veros toties jam deprehenderat) de Mercurio in Sole viso, suspectam reddere nititur.

Respondeo traditionem hanc de Mercurio in Sole viso, non niti numero & fide eorum authorum, qui descripserunt illam ex vno aliquo primo. Curenim autò quis aliquis, & peritus Astronomus, qui bona fide scripsit, subsequentiū oscitantiam & inconstantiam, aut fabulosi Turpini credulitatem luat?

Equidem ex hoc ultimo seculo accersitos video trium viros illos, Polydorum, Sabellicum, Lycosthenem, ut & Centuriatores, nec multò antiquiorem Vincentium; cum res facta ante octo secula narretur.

Sed causas, quibus decepti sunt authores, partim disputator ipse explicat, Lycosthenem à Polydoro, Polydorum ab eventibus insignibus anni 778. seductum, ut annum 778. ponerent, eundemq; annum Lycosthenem in 1278. transformasse deceptum permutatione characterum.

Io & clō.

Quod

Quod verò Lycosthenes & cum illo Ego secundà vice annum 808. ponit, cum veteris Francicarum rerum scriptores ponant annum 807. Id diffensio non est, sed pulcherrimus consensus. Res tamen eget explicatione & doctrinà temporum.

Nam in eo cardo versatur, ut auctor hujus historiæ annum vel à Paschate incipiat, vel à 25. Martij cum Lycosthenes nobiscum illum à Cal. Januarij præcedentis incipiat. Sic enim idem dies XVI. Cal. April. ab Annalibus refertur in finem, anni 807. A Lycosthene & Me in initium anni 808. sequitur igitur, hujus rei demonstrandæ causâ.

Digressio

DE EPOCHA AN- NORVM CHRISTI vulgarium.

ANum à scriptore annalium à Paschate inchoari, suspicionem conceperā in Opticis: Nec paulo evidentiora argumenta exhibet Josephus Scaliger editione secunda libri de Emendatione temporū pag. 506. ubi relictis ijs, quæ Author suis rationibus tandem concludit, & consideratis solis illis, quæ is ex antiquitatis memoria allegat, hoc videor non ineptè colligere: Annum
Ecclési-

Ecclesiasticum inceptum fuisse à Paschate, ejusq;
terminum, quippe festi mobilis exeunte anno Poli-
tico annunciatum fuisse populo de suggesto. Itaque
in testimonio Bedæ illic allegato, exeunte anno 701.
Christi Politico secundum vulgatam aram, si 33.
solidos ex sententia Bedæ auferas, restat 668. cur-
rens à Paschate præcedente, quod & habuit inscri-
ptio Cereorum, quam descripserunt Bedæ autho-
res in Natali Domini. Quod verò Bedæ annum
701. exeuntem componit cum Indictione quartade-
cima, in eo morem sequitur Ecclesiæ, & Indictio-
nem anno politico terminat in Pr. Cal. Januarias.

Sequentia testimonia ex Fredegario & Ai-
moino, utuntur titulo *APASSIONE DOMINI*,
cum numeri pendeant à Nativitate vel Incarna-
tione, quod si non est lapsus linguæ vel calami: Ego
interpretor sic, ut dicant illi Authores se numera-
re *ADIE PASSIONIS* quamvis etiam ab anno
incarnationis.

Et si anno 735. non VII. Cal. sed VI. Cal. Jan.
& anno demum 736. VII. Jan. dominica dies inci-
dit. Erat enim anno 735. Indictio III. Itaq; Sca-
liger in conciliando illo errore lusit operam. Sit
culpa mendi, quod ipse agnoscit Scaliger. Aut ini-
tium dominica sit vespera, more veteris Ecclesiæ.
Tunc illa sane est quadrans ultimus ex VII. Cal.
Ian. Romani, in medio nocte terminandi.

Cetera

Ceteræ Conciliorum allegationes omninò videntur nobis confirmare caput anni in Paschate.

Sed solidum argumentum exhibet nobis vetustissimus mos Ecclesiæ Gallicanæ, quo pro scriptore Gallo concludamus caput anni fuisse ipsi Pascha, vel certè 25. Martij.

Tenuerunt enim Christiani Occidentis, & inter præcipuos Galli: Christum VIII. Cal. April. resurrexisse, anno Juliano 76. quæ sententia non est adeò absurda, quin eam Epiphanius diligenter attendenti persuadere possit. Et si enim ex eo sequitur, Pascha celebratum à Judeis I X. Cal. Aprilis ante æquinoctium politicum, à Christo verò agnum comestum XI. Cal. April. exeunte; crucifixum X. Cal. Aprilis uno atq; altero die ante plenilunium; quæ absurda videntur: tamen hæc absurda Epiphanius reddit verisimilia, ostenso Cyclo annorum 84. Judeis tempore Christi usitato, qui Cyclos non tantum Quartamdecimam anticipabat biduo & amplius, sed etiam Pascha sæpius statuebat ante æquinoctium. Sanè hoc posterius etiamnum tempore Constantini committebant Judei, ut liquet ex Epistola Constantini de Paschate & ex alijs Epiphaniij locis.

Sed ad rem VIII. Cal. Aprilis Christum quidam resurrexisse, quidam linguæ lapsu passum esse, & sic Pascha ultimum Christi eo die incidisse dixerunt,

C

diuq;

diu, & in modum Pasche fixum hoc die 25. Martij
Gallic celebrarunt, usq; post tempora Concilij Niceni.
Eodem die VIII. Cal. Aprilis conceptum esse in u-
tero Matris hauserunt, vel ex Chrysostomo, vel ex
Romanis antiquioribus. Eodem die & mundum
contitum esse opinati sunt Patres Synodi Palaestinae,
à Thero phlo congregati, ut liquet ex eorum Episto-
la Synodali, quae est apud Bedam, & ex Epiphanio.
Itaq; VIII. Cal. Aprilis dicta fuit ~~ωγενησις~~ & ~~ημερα~~,
ut refert Scaliger praefatione in Eusebium. Cum
itaq; 25. Martij ab occidentalibus pro principe die
fuerit habitus, quid mirum eorum successorem
scriptorem Annalium Gallicum, ex ea die incipere
annum? Vel certè ex ea die Paschatis mobilis, quod
cis & ultra hunc diem incidere solet.

Evidentiſſimum verò habent argumentum ipsi
anni Incarnationis, seu vulgatae aera, qua hodie u-
timur, quaq; & scriptor Gallus est usus. Illi siqui-
dem ab authore suo Dionysio putabantur genuinae,
notione vocis, ab Incarnatione, hoc est, à Conceptione
Christi; posteritas verò decepta putavit Diony-
sium numerare illos annos à Nativitate Christi,
Nisi enim à Nativitate numerarentur, Christus
natus esset anno Juliano 46. Decembri. Anno itaq;
74. Decembri, cujus praecedenti Septembri finieba-
tur 1549. Tiberij, Christus demum inchoasset an-
num 29. quod contrarium videbatur Evangelistae,
qui

qui videtur affirmare, Christum unno XV. Tiberij inchoasse annum XX X. Hæc itaq; causa fuit, cur Dionysio posteriores, annos æræ Dionysianæ, quos ille numeraverat ab incarnatione, numeraverint à Nativitate, ut sic Dionysij æram quomodocunque, conciliarent, cum D. Luca Evangelista, de annis 30. incompletis, & 15. Tiberij completis intellectis. Unde sequebatur, ut ij, qui Dionysij mentem retinebant, æram Christi inchoarent ab VIII. Cal. April. qui verò eam aliter interpretabantur, ab VIII. Cal. Jan. præcedente, eò quod tempore Dionysij receptum erat, Christum conceptum quidem esse, & incarnatum VIII. Cal. April. Natum verò VIII. Cal. Januarij.

Putari verò annos Christi Dionysianos primo authoris instituto, ab Incarnatione, & sic à 25. Martij anni Iuliani 46. non verò à Cal. Ian. præcedentibus, affirmat Lucidus, & Ego probo ex eo, quod Dionysius tot jam seculis à Christo elapsis, primus fuit, qui à sententia veterum ecclesiæ scriptorum describit, principium æræ Christi connectens non cum 42. anno Augusti, seu cum Principio 44. Iuliani, ut veteres magno numero affirmarunt, quos vide apud Barronium; Sed transtulit illud in 46. Iulianum. Ex quo apparet, Dionysium non respexisse, ad expressum in Evangelista numerum, 30. annorum, ad quem veteres respexerant, sed

alijs argumentis usum esse ad caput illius sue & nostra era investigandum. Argumentum autem eius hoc fuisse colligo ex eventu ratiocinationis huius.

Dionysius cum Chrysostomo Christum natum credidit 25. Decembris in solstitio hyberno, & conceptum novem mensibus ante, 25. Martij in æquinoctio vernali. Porro series historiae Evangelicae ostendit, Johannem sex circiter mensibus ante Christum fuisse conceptum. Ergo sequebatur conceptum esse in æquinoctio Autumnali. Hanc de Natali in 25. Decembris nonnulli vetustissimam traditionem faciunt, referuntq; teste Nicephoro in Evodium D. Petri $\omega\mu\chi\epsilon\gamma\omega\iota$, proferuntq; locum ex canonibus Clementis Romani, quorum aliquos Epiphanus suspectos habet novitatis. Alij ex oratione D. Chrysostomi de die Natali, recentiore faciunt originem festivitatis in 25. Decemb. Sic enim existimant, si tam antiqua consuetudo fuisset, non dicturum fuisse Chrysostomum se illam non ita pridem, ante annos decem scilicet, à Romanis acceptam Constantinopolim invexisse: neq; ausurum fuisse, Epiphanium affirmare adhuc suo ævo, Christum natum 6. Januarij. Tum autem apparere facile, quibus argumentis Conceptio Christi in Martium inciderit, ut ita de auctoritatibus & traditione non sit opus cogitare. Cum enim legeret aliquis in
Evange-

Evangelio Mense Autem Sexto Missus Est Angelus Gabriel ad Virginem, non respexit ad precedentia, Elisabeth abscondit semina quinque, sed accepit hoc dictum de Judaica serie mensium, non à Nisan, sed à Tisri, quod illud fuerit initium vetustius anni Judaici. Itaque cum Adar sit sextus à Tisri, convenerit verò cum Martio Romano, Martio mense credidit missum angelum ad virginem, super conceptione Christi.

*Addit Chrysostomus aliq, etiam plures rationationes ex dicto Joannis, qui Christum affirmavit oportere crescere, se verò minui; quod transtulerunt ad conceptionem etiam & ortum eorum, adq, naturam cursus Solis: ut Christus conciperetur in maximis diei incrementis, Joannes in maximis decrementis: & ille nasceretur in primo initio crescentis, Joannes in primo initio decrescen-
tis diei, ille surgente Sole, hic cadente.*

Hec utcumq, sint, certè seculo Dionysij jam in universam obtinuerat opinio, Christum conceptum in æquinoctio verno, & sic Ioannem in Autumnali. Sequuntur nunc reliqua.

Cum enim pater Joannis Zacharias obtulisse incensum dicatur in templo, creditum fuit, ut apparet ex Chrysostomo, illum fuisse summum Pontificem, & oblationem hanc ab eo factam in festo Expiationis, quando soli summo Pontifici licebat in-

Carolus Sigonius de repub.
Hebræorum.

gredi Sanctum Sanctorum. Vidit enim Angelum, cum ingressus esset in templum, populo foris stante, ipse solus relictus. Hæc solitudo offerentis, videbatur arguere Sanctum Sanctorum. Atqui neq. summi Pontificis est incensum ponere, vel sortiri munus expiationis, quod soli convenit, neque Zacharias summus pontifex fuit, quippe tribulis Abiæ, cuius ex viginti quatuor, vices erant octava: Et summi Pontifices ejus temporis, referente Iosepho erat, Simon Boëthi, socer Herodis Anno Iuliano 23. usq. in Iulianum 41. Matthias Theophili Ierosolymitani, per annum 41. sub hoc Iosephus Ellemi cognatus illius, unius diei pontifex. Theophilo remoto ob seditionem concitatam successit Ioasarus Simonis filius, affinis Herodis, anno Iuliano 42, functusq. est officio usq. ad Archelai loco motionem, multis annis post mortem Herodis Regis.

Sed pergamus in hac argumentatione; sit facta annunciatio Ioannis in festo Expiationis. Illud verò celebrari oportuit Luna X. Querendus itaq. fuit Dionysio annus, in quo Luna X. esset proxime æquinoctium autumnale, quod is, qui vernale, in 25. Martij ponit, quiq. ætatem dierum 186. facit, ut Plinius, necessario in 27. Septembris confert.

Atqui solus annus Iulianus 45. est talis in quo Luna X. cadit proximè 27. Septembris. Est enim eo anno Aureus numerus I, index novilunij qui ponitur ad 16.

an. 6. Septemb. tempore Niceno; itaq; tempore Christi 17. Septemb. Novilunium, ut quidem & calculus ostendit, Novilunium die 17. Septemb. manebat ortus Solis. Et Scaliger ex computo Iudaico, prodit Novilunium Tisri 18. Sept. Itaq; 27. Septembris dies idem fuit & æquinoctij Romani & Lunæ decimæ, & sic festi expiationis. Ex hoc sic deprehendo puto ortam esse illam traditionem, quod Ioannes annunciatus fuerit die 27. Septembris, Dissimularunt enim dissensum numeri 30. in Evangelista, qui de hoc deprehenderunt, aut forte de eo non cogitarunt.

Hac igitur erant Dionysio argumenta à Patribus accepta inq; à redi anni Conceptionis Ioannis. Quod si itaq; Ioannes annunciatus est Iuliano 45. Septembri, Christus annunciatus & conceptus fuerit anno sequente 46. 25. Martij. Is verò est primus æræ hodiernæ, quam nos à Nativitate deductam vulgò putamus.

Itaq; Scriptores Gallici, qui Dionysium dextrè intellexerunt, cum numerant annum Incarnationis Dionysianum 807. incipiunt illum etiam à die Incarnationis à 25. Martij sc. sive propter viciniam, à Paschate, & terminant eundem in 24. Martij post initium anni politici Romani, quem nos hodie prava intellectuione æræ Dionysianæ, numeramus jam 808, & à Nativitate, Ideoq; etiam à die Nativita-

vitatis seu potius ob viciniam initij politici Romani, à die Circumcisionis. Rectè igitur ista coniunctio Solis & Mercurij, quæ 17. Martij contigit, reponitur & à Scriptore Gallo in finem anni 807. & à nobis in primū quadrantem anni 808. æræ vulgaris.

Provectus sum præter mentem in Chronologica, ostensa causa, cur hodie annos Christi mutilatos habeamus, operâ Dionysij, cum veteres Ecclesiæ scriptores biennio maturiorem exhibeant Christi nativitatem, quàm est caput hodiernæ æræ vulgaris. Id feci tantò libentius, quod ante biennium in * Diatriba Chronologica de anno Natalitio Christi, causam, quæ Dionysium, nostri numeri conditorem seduxerit, dicere non potui.

Addo igitur & hoc obiter, invidiam creati dicto meo libello, aut horibusq; quos sum secutus, & quod pro Evangelistæ numero XXX annorum ætatis Christi, nos ponimus XXXII. vel XXXIII. excusantes rotundum Evangelistæ numerum per adjectionem particulæ & Qualis vel Circiter. At qui sunt isti iniqui censores? Nimirum ij, qui Dionysianam hodie usitatam æram sequuntur; itaq; eodem crimine, quod in nobis accusant, & ipsi tenentur. Auximus nos Evangelistæ numerum? Ipsi mutilarunt, & pro XXX. fecerunt XXVIII. Si enim Christus est natus anno Iuliano, 45. 25. Decembris, certè anno Iuliano, 73. 25. Decembris curre-

Sim frontes
paginarum ti-
enjo carerent,
Typographus
proprio arbi-
eratu SYLVAM
scripsit, occasi-
one sumpta ab
exordio: At qui
vix unisa arbor
est.

currebat XV. Tiberij, quod est extra controversiā.
Anno igitur XV. Tiberij Decembris 25. Christus
complevisset annos XXVIII. cum B. Lucas eo Ti-
berij anno Tricenarium exhibeat. Itaq; si nullum
hucusq; piaculum commisit Ecclesia, & Christianus
orbis universus, numerans à Nativitate Christi
minus quàm fert Evangelistæ numerus, neq; nos
impij videri debemus, plus numerantes. Constat
enim utriusq; numero Evangelico rotundo XXX.
sua auctoritas, munita adjectione particulae *toti*.

Jam tempus est, ut referam id, cujus causa
hec omnia hactenus disputata sunt, nimirum:

PHÆNOMENON COELESTE LECTIS- SIMUM.

 Attendite Astronomi, & tu Coryphæ
Mæstiline cum Respondente tuo. Nam quod
mibi videbitis obtigisse hodie, jam porro fa-
cile concedetis & veteri scriptori Annalium obtin-
gere potuisse; nec porro quod in Theſibus feceratis,
fidem narratæ ab illo historiæ labefactabitis; quin
potius mecum gaudebitis.

Scripseram superius allegatam Epistolam 16.
Novembris anno 1606. Testis est mihi disputator.
Sequentis igitur anni 1607. die luna, qui fuit $\frac{1}{2}$.

D

May,

Maij, auxi mea Observationum Commentaria, hac pericopa, quam ad verbum exscribam.


Cum praecedens vesp̄era diei Solis ingentem aestum subito excitasset, & una ventum, nox verò pertonuisset terribiliter, cum imbris & larga pluvia: viderem autem nullum aspectum in Calendario vel Ephemeridibus, nisi conjunctionem Solis & Mercurij, quæ ponebatur ad vesp̄eram diei 1^o 2^o sequentis: cæpi cogitare, si forte conjunctio hæc biduo anticipaverit, fueritq; vesp̄era diei 1^o 2^o.

*Et jam antea præmonueram Matthiam Seisfard, studiosum à Brabeo relictum, ut Solem toto ultimo quatrinduo diligenter inspiceret: nam constare mihi, ex observationibus Brabeanis, nodos Mercurij esse in *Geminorum & Sagittarij principio. Igitur et si suspicabar jam transisse conjunctionem: tamen cum post meridiem hora circiter quartâ viderem nubes pulsas, cælum mediocriter serenum, abrupti sermonem cum Jesuita, quo cum super hac re loquebar, & negotio observationis ipsi dato domum me recepi, sub tectum altum & amplum, scandulis structum rimosis. Schemata Solaria omnia hujus ferè magnitudinis in chartam incidebant. Ubi quæ clari erant luminis, ubi foramen Solem admittens ita magnum, ut non feret plenaria intersectio radiorum, ea nihil ostenderunt: quam rem & Jesuita obstitisse puto. At sche-*

mata

*
Vide superiorem epistolam, scriptam semestri ante.

Vide super hac re Opticae lucæ cap. II.



*mata tenuis luminis maculam parvam Muscæ par-
væ magnitudine in sinistra & inferiori parte sche-
matis exhibebant, dilutam instar raræ nubecula.
& ne papyrus aliquam maculam habere putaretur,
crebrò motavi papyrus; macula semper schema se-
quebatur suum locum in eo tuens.*


*Ne verò in itinere radij, papyrus & inter fora-
men aliquid interesse putaretur, telis aranearum
suspensum, quod umbram hanc faceret in schema-
te, Schemata crebrò permutavi. Conscendi etiam
alteram contignationem, sub tectum aliud. Erat &*

„ in illius tecti schematibus solaribus, per rimas te-
 „ nues ingressis, talis macula. Disceſſi igitur ad-
 „ vocatum plures teſtes, relicto hoſpite meo D. M.
 „ Bacchatio Rectore, Academiae Pragenſis, apud
 „ ſchemata, qui ſub utroq; tecto ſpectator & teſtis
 „ fuit, eiufdem in omnibus ſchematibus diſpoſitionis,
 „ macula illius ad margines ſchematis.
 „

Ego M. MARTINUS BACHAZEK,
 qui interfui huic obſervationi,
 fateor rem ita ſe habere,

„ Curſum igitur præteriens Curiam Urbis vete-
 „ ris vidi trientem ultra vicesimam primam ab
 „ occaſu indicari. Exitinere obiter admonui Fe-
 „ ſuitam: Sed is, ut retulit, precum horâ inſtante,
 „ Solem ſe inſit expectare, deinde foramine uſus ni-
 „ mis magno, nihil vidit in tam claro ſchemate, bre-
 „ vig; Sol conditus fruſtratus eſt longiorem ejus dili-
 „ gentiam. Ipſe arce conſcens a priusq; Caſare per cu-
 „ bicularium admonito perrexi in officinam horolo-
 „ giarij aulici, Juſti Byrgij, Aberat is. Uſus igitur
 „ ſum ipſius duobus miniſtris. In gradibus, qui ex la-
 „ to deambulacro templi Canonicoꝝ deducunt in
 „ Armamentarium, fenestram patentem, valva &
 „ pallijs obſtruximus, tenebroſumq; locum fecimus,
 „ quantum potuimus. Solem per laminæ rotundum
 „ foramen, diametro nonæ vel decimæ partis unius
 pollicis,

Hac ex Ger-
 manico quo-
 ectis cauſa
 erant ſeri-
 pta, converti.



pollicis, admissimus spacio cir-
 citer 14. pedum à foramine,
 quoad schema excrevit ad
 præsentem magnitudinem.
 Vidimus ab inferiori & fini-
 stra schematis parte (vultu
 ad schema converso) parvū
 punctum, saturæ nigredinis, versus centrum; dilu-
 tius & minus præcisum versus marginem, magni-
 tudine & specie macilentæ pulicis; hoc clare, nec se-
 mel: aberat tertia diametri parte plus minus ab
 extremo & proximo margine. Et ne quis existi-
 met, maculam fuisse papyri, mota papyro, trans-
 posuimus. Schema, semper macula cum schemate
 incidit. Cum nubes super Solem ingruerent; super
 maculam etiam schematis, eodem loco schematis
 hærentem quasi immobilem, nubium species ingru-
 ebat. Testis est Just. i. Byrgij Minister Automato-
 pæus, qui spectator fuit:


Heinrich Stolle Klein Uhrmacher.
 Gesell/mein Handt.

Intervenit tandem & Byrgius ipse cupidissi-
 mus visendi hujus spectaculi, sed jam nubes den-
 sissimæ circa horizontem occupaverant Solem ca-
 dentem. Cumq; diu attentis tandem momento
 temporis debiscerent, maculam quidem nos reliqui
 celeriter conspeximus, quippe jam assueti, Byrgium

verò, quem testem esse percupiebam, ipsa festina-
tio princeps, & rursus coiens nubium hiatus impe-
dit, ut quamvis stylo monstratam maculam, à
specie nubium circumstantium discernere non pos-
set. Solo enim motu nubes, macula verò quiete,
internoscebatur. At in tam brevi temporis momen-
to, motus nubium non potuit ab ipso percipi. Itaq;
Phenomeni quidem testis esse non potuit, ac consen-
tientium nostrorum testimoniorum testis est lucu-
lentus.

Post Solis occasum domum reversurus, transi-
vi apud Matthiam, quem speculatorem in dies qua-
tuor constitueram, rogans, num quid vidisset ocu-
lis in Solem ipsum directis? Nihil, inquebat, de quo
certi quid haberet affirmare. Spectasse quidem
circa tertiam horam, & in extremo margine pri-
mo intuitu videri aliquid desiderasse, sed repetitis
obutibus, tantam illi claritatem obortam, ut pla-
nè cæcus factus, si quid etiam fuisset, agniturus non
fuerit. Cum de plaga marginis rogarem, superio-
rem promptè respondit: Id erat consentaneum ijs,
quæ ipse videram. Nam quod est in radio infra,
in cælo est supra. Sed cum dextrum an sinistrum
marginem juberetur prodere, valde hæsitavit, &
quod deniq; invenit, excutiens memoriam, id con-
trarium videbatur ijs quæ ego vidi. Nam mihi ma-
cula vergebat ad sinistram, scbema inspicienti:
debuit

*Demonstratio ocularis,
Subijciatur litera D.*



debut igitur in cœlo similiter ad sinistram vergere
cœlum inspicienti, ipse ad dextram deflexisse opi-
nabatur. Sed facile ex hesitatione apparuit, me-
moriam lapsum intervenire potuisse. Ipse quippe
majorem aliquam quantitatem macula, quam erat
ista, querendam & observandam ratus, non valde
curavit impressionem tam parvæ macula, quam pu-
tauit esse visus defectum: neque de nostra obser-
vatione, deq; re ipsa scivit, ut diligentius circum-
spiceret, circumstantiasq; & plagam memoria re-
tineret.

Hactenus igitur observatio. Addo autem has
notatiunculas. Primò quod in majoribus sche-
matibus diluta fuit macula, causam fuisse puta
conformationem foraminis, per quod Sol irradi-
vit. Scandulae enim rimas oblongas agunt. Itaq; la-
titudò quidem rimarum sat angusta fuit, ut fieret
plenaria radiorum intersectio, longitudo verò ri-
marum tam fuit magna, ut Solem admitteret, &
loco maculae superfunderet, essetq; semiumbra.

Sic fieri solet circa globos, quibus turres or-
nantur. Quando enim umbra eorum tam longè de-
desluit in terram, ut ex loco incidentiæ Sol major
spectetur angulo, quàm globus, tunc videre est glo-
borum umbras dilutas esse, avertunt enim interio-
res disci Solis radios, at locus umbræ interim mar-
ginalibus disci Solis radijs debiliter illustratur.

Tale

Tale quid etiam hac vice contigit occasione longitudinis rimarum, ut explicavi. Itaq; in schemate parvo, ubi rotundum & parvum fuit foramen umbra fuit nigrior.

Deinde non est existimandum corpus Mercurij tam fuisse parvum respectu Solis, quàm fuit macula respectu schematis. Nam in opticis est demonstratum, addendam esse semidiametrum foraminis ad semidiametrum umbræ, auferendam à semidiametro schematis lucidi, ut proportio constitutur justa. Et quia nigredo macule ostendit plenariam umbram, igitur plenaria ibi facta fuit intersectio: corpus igitur Mercurij certò majus fuit in comparatione ad discum Solis apparentem, quàm foramen in comparatione ad Schema.

Cur autem ex altera parte macula fuerit, diluitior, quàm ex reliqua, nescio, nisi foramen in causa fuerit, quod tamen puto benè circulare fuisse.

Deniq; apparet ex hac observatione, lumen Mercurij, si quod habet proprium, in comparatione ad lumen Solis, umbræ rationem habere.

EPILOGVS.

 Vid nunc tibi est animi, lector amice, nunquid gratularis mihi de successu in re meâ. An & succensebis irridebisve, si ut quon-

quondam Pythagoras, inventa ratione laterum
Rectanguli, Musis bovem immolavit, sic ego, poti-
tus egregio spectaculo & demonstratione motuum
Mercurij, quam tanto tempore antè jactaveram,
verà deprehensâ, librum facio, Principi q̃ meo of-
fero: Aut si, ut quondam Ovidius super lascivâ,
sic ego super ingeniosâ victoriâ, de opponente meo
parta, exclamen:

Itē triumphales circum mea tempora lauri:

Aut si, ut quondam Archimedes, deprehensô
furto Aurifabri, labro exsiliens, in quod lavandi
causa descenderat, exclamavit: *ῥυπηνα*, Sic ego hoc fu-
runculo Deo, furum patrono credito, lucem ut plu-
rimum fugiente, seq̃ sub radios Solis recipiente,
tandem in Sole ipso, ad quod insigne incautior di-
verterat, deprehensô: omisis, quæ ago, negocijs
& studijs alijs importunè exclamen *τετρηνα*?

An æquiore me audes animo, Narrationem
meam, ut Comœdi suos Actus, cantu finientem, &
Spiritu pœtico letitiam animi contestantem:

Et si, ut vulgata est de Musicis bonis opinio,
melancholico temperamento præditos esse, sic ego
proletitia mœrorem tibi meum potius Epigramma-
te prodam. Nam quid tibi ego dicam? Cum 28.
Maij spectaculum hoc essem nactus, sequenti 30.
Maij, Helena Maria filia Illustris viri D. Joannis
E
Matthæi

Matthæi VVackkerij à VVackenfels Equitis au-
 rati Rudolpho II. Romanorum Imperatori à Con-
 silijs aulicis, virguncula, quæ nondum decimum
 annum egressa, latinæ linguæ artiumq; liberalium
 cognitione. Et exercitio rarissimis ætatis nostræ
 exemplis comparanda, matronali prudentia, penè
 supra sexum etiam omnibus miraculo fuit, eximium
 Germaniæ decus futura, variolis extinguitur: cu-
 jus puellæ virtutem animiq; dotes, cum acerbissimè
 dolerem extinctas, cum patris Patroni mei optimi,
 matrisq; beneficentissimæ, tum etiam mei amoris
 causâ; illas, ut potui, immortalitati consecravi, le-
 titiæq; illius Et mœroris. hujus contrarios affectus
 eadem mentis agitatione permiscens, cum neq; spe-
 ctaculum meum digniori allegoria, neq; fatum cru-
 delissimum domus amicissimæ honestiori emblema-
 te exornare possem, hæc inter cætera sum medita-
 tus epigrammata..

IN PERSONA HELE-
 NES DEFUNCTÆ.



Redideras toto perijisse ex æthere Sidus
 Majugenæ; in radios sequia cōdiderat.
 Sol negat obnitens: Solem quis vera negare
 Arguerit; Solis cuncta vident oculi,
 Cuncta

Cuncta aperit lampas, clypeo entibi sidus in ipso
Luminis, ignarus quod modò perdideras.
Sol Deus est; Hermes Ego; lumen, gloria vitæ
Cœlitis, humanis me eripiens oculis.
Si Deus est iustus: post mortem erit altera vita:
Iustitiæ soli subdita, non pereō.



SPECTACVLVM
ASTRONOMIS PVLCHERRI-
rimum, paulò post occubiturum,
nubes ante tempus etiam
eripuerunt.

Vidimus, haud ulli visum nisi Nomine casso,
Scriptori vitæ Carole Magne tuæ.
Atque Arabi, cui Rôe sato cognomen; at illud
Alterutri visum vix duo crediderant.
Vidimus atque oculos cupidi satiare videndo,
Turbati sensim Sole cadente sumus.
Ante sed occasum clypeo interiore receptus,
Firmasset crebro teste planeta fidem.
Invidit nubes, tenebras obduxit, & Astra
Ante propinquantem condidit occubiturum.

Non magis indoluit cerva pereunte Petrarcha,
Quam niger atque albus corripuere canes;
Nave mari fractâ, versâque à fulmine lauru;
Fonte sacro in cœcos deficiente sinus;
Phœnice è terris vacuas abeunte per auras;
Marcente ex morfu, Virgineo ore, pedis.
Accipe nunc omen, præstans ô virginis instar;
Et medicam porro quærere define opem.

Cyllenes proles ipsa es, sub Apollinis orbe,
Vndiq; Phœbæum circumamicta decus.
Sat fuerat, lethi communi foedere natam;
Invidet hoc etiam mors, properata tibi:
Occidis ante horam. Nō tanta est causa dolendi
Fons, Navis, Phœnix, umbra, puella, fera.

*Age verò, experiar an proposita jucunditate
contemplationis hujus, desert hæc stu-
dia possim adjuvare; invitato & per-
suaso liberali aliquo adolescente, in soci-
etatem laborum, per fictionem sequentem,
quam mihi spectaculum nostrum dicta-
vit.*

*Quid si enim plenus Apolline futu-
rum aliquid aut factum absens vidi, &
carmine sum prosecutus; quod equidem
opto.*

Nec tebat laurum non notæ Academia terræ
 Postridie doctis impositura comis.
 Classis honorandæ venit pars una, vocatum,
 Vtopius, cœtus me quoque ad Aonios.
 Siste pedē juvenis, solitis penetralibus absum
 Insignis mentem luminaque actus habet;
 Quâ tenebræ spaciumq; loci, sub simplice tecto,
 Et subtile aperit tegula fissa jubar. (ceptum
 Majugenam amplexus, penitusque umbone re-
 Auricomus medio fovit Apollo sinu,
 Spectādumq; dedit, cinctum flāmante coronâ,
 At ipectatoris gaudia pectus habent.
 Opræstans animi juvenis, cui laurea præses
 Serta secuturâ spondet Apollo die;
 Hæc hodie tibi signa dedit: quis dicere vana
 Audeat: Huc gressus flexerat ille tuos
 Tempore venisti: Cernis quæ præmia aperti
 Siderij cursus carpat Atlandiades:
 Ergo age pollentem ingenio, latumque iuvētâ
 Huc animū, hanc promptâ mente capesse viâ.
 Accipe magnum omen, nullus te luserit ^a error
 Sideris, ^b insidias nulla ^c latebra tuas,
 Ipse Pater Titan abstrusa in luce locabit.
 Ipse suâ tenebras lampade discutiet.
 Ipse idem eximium parenti spondet honorem,
 Illius egreditur laurea luxque comis,

a Errantiū sen-
 planetarum in-
 tricatus cursus.

præcipue Mer-
 curij.

b Observatio-
 nes, typhœæ
 speculationes.

c Occultatio
 sub solis radios
 Mercurio fire
 perpetua.

Ille tuas laurus radijs mutabit & auro
Clara tuo occubitu fama superstes erit.
Incipe, qua fessus sub iniqua mole fathisco:
Sub partem curæ cede; Magister ero.

F I N I S.



L I P S I Æ

Typis TOBIAE BERERI.
Valentin, Alm Ende excudebat,

ANNO M. DC. IX.

